Calissiensis Collegii Soc. Jesu: Leopardus ab animantibus salutatus

# LEOPARDVS

ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI

# D. HENRICI FIRLEY

ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS

LEGATI NATI

R. P. PRIMATIS

PRIMIQ; PRINCIPIS

*Gnesnensem primum Archidiœcesim ingredientis*

AB ANIMANTIBVS SALVTATVS

*QVÆ*

Gnesnensium Archiepiscoporum stemmatibus incisa claruerunt.

*HIS*

MVSARVM ALVMNI

*In Collegio Karnkouiano Calissiensi Societatis IESV*

ACCESSERE SALVTANDI

SVFFRAGATORES.

M. DC. XXIV.

*Ex Officina Alberti Gedelii Archiepiscopalis Typographi.*


HENRICO FIRLEY
A. G. L. N.
R. P. P. Pc. P.
1624

# Illustrisimo ac Reuerendisimo DOMINO D. HENRICO FIRLEY

*ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, LEGATO nato, Regni Poloniæ Primati, primoq; Principi, vniuersi Eloquentiæ Auditores.*

SEmper existimauimus, Illustrissime ac Reuerendissime Domine, rectum esse: vt, qui summæ dignitatis viros pro dignitate nequeunt celebrare; eos tacita admirationis & silentii veneratione colant. Nam qui altissimæ virtutis fastigium dicendo consequi non potest: ei præstat ad primas radices consistenti præcelsum honoris culmen, & rerum gestarum gloriam intueri. Quam ob causam factum est; vt & nos, summum tuæ virtutis & dignitatis gradum contemplati, ancipiti dubiaq; distracti sententia, tanquam in biuio hæreremus: ne esset in tuo optatissimo aduentu aut ingrati silere, aut arrogantis loqui. Quis enim non arrogantes facile pronunciarit: si, cum vniuersi patriæ ciues omnia Tibi magnifico & rerum & verborum apparatu officia exhibeant; nos in tot & talium virorum virtuti Tuæ gratificantium numerum venire ambiamus? Summa Tua virtute, maximis in rempub. meritis, singulari vel generis vel sapientiæ laude, Gnesnensis Archidiœceseos gubernationem accepisti; Omnis maioris Poloniæ plebes incredibiliter gaudet? Pastore vigilantissimo. Nobilissimus Equitum Polonorum ordo, faustis lætisque acclamationibus prosequitur? Acerrimum legum propugnatorem. Tota Patrum conscriptorum curia & Regni Senatorum concilium ex animi sententia gratulatur? Ciui patriæ amantissimo. Sacra Regia Maiestas grate honorificeq; amplectitur? fidissimum Regiæ dignitatis patronum. Vniuersa deniq; Polonia incredibili lætitia maximos vbiq; plausus impertitur? Et primò Prin-

mo Principi & Optimo Patri. His igitur clarissimis totius Poloniæ
vocibus, nostrum admiscere murmur audeamus? contumacis est
ranunculi, inter olores occinentes perstrepere velle. Itaq; in tua-
rum laudum studio, cum totius Poloniæ gratificantis exundet ora-
tio: veremur, ne exiguæ nostrarum Musarum voces tanquam in im-
mensum proiectæ pelagus nullum sui vestigium relinquant. Sed al-
tera ex parte grauis nos cura atq; anxietas tenet: ne dum virtutum
tuarum fulgorem volumus tantum silentes & taciti admirari; in
magnum vel ingrati, vel inimici animi crimen incurramus. Ingre-
ditur auspicato, Duce virtute, Comite sapientia is, cuius guberna-
tione & religionis integritas, & animorum salus continetur: vbi
summo in Polonia sacrorum Antistiti digna iustaque acclamatio?
cuius perpetua vigilantia, religio, aræ, templa, ritus & ceremoniæ
sacrorum sarta tectaq; conseruantur: vbi pastori diligentissimo de-
bita gratæ voluntatis significatio? qui & diurnis laboribus, & no-
cturnis excubiis, contra & [illegible] improbitatem, & flagitiorum
licentiam depugnat: vbi fortissimo Athletæ promeritus plausus &
studium gratulandi? Atqui [illegible] aliud esset, quod in te nostra o-
ratio deberet admirari: ipsa profecto tua & excellens dignitas, &
singularis sapientia magnitudo nos & multis nominibus obstrictos te-
net: ne tuas incredibiles virtutes, in oculos atque in animum vl-
tro incurrentes, silentio transeamus. Sic igitur Illustrissime Domi-
ne, dignitas tua & virtutis ac honoris locus, in silentii nos & orati-
onis studio distractos atque ancipites tenet. Quid ergo? possumus
in tuarum virtutum campum excurrere? sed arrogantis videtur
esse, eum dicendo ornare velle, cuius virtutibus totius patriæ ora-
tio par non potest inueniri. Altum igitur silentium Musis indicemus?
sed ingrati est; nullum officium gratæ voluntatis exhibere ei, cu-
ius meritis omnes reipub: ordines obligatos se esse confitentur. Ma-
lumus, Illustrissime Domine, arrogantes quam ingrati videri in e-
um, cui omnia summa debeamus. Qua in re quemadmodum Aty ma-
gnus Crœsi patris amor linguæ vinculum dissoluit: ita nos summa
virtus tua mutos pene & elingues impulit ad dicendum. Atque vt
Æschines, cum cæteri multa Socrati donarêt; Ille, cum dignum te,
inquit, habeam nihil: me ipsum tibi dono. Ita nos Illustrissimo No-
mini tuo nihil prius, quam animos nostros offerimus: Quorum ob-
sidem hãc opellã grata & beneuola Tua accipiat manus.

# PANEGYRIS

## GRATVLATORIA.

*SI quantum animus desiderio conatur, tantum lingua oratione atq; eloquentia valeret, Illustrissime Domine: neminem futurum esse arbitror, qui fausto tuo fortunatoq; aduentui quenquam maiori contentione & studio, quam nos, gratificari intelligeret. Nam cum cæteri Poloniæ ordines, omnia tibi summa gratificandi officia exhibeant, quod Reipub. dignitas & salus non parum pendeat è tua: quantum illud est, quod nos Tuæ Illustrissimæ Celsitudini debeamus, cuius virtute & sapientia incredibili; & Musarum honos & religionis integritas in Polonia nostra maximè continetur. Itaq; præstantissimis tuis virtutibus atq; dignitate plurimum Poloniæ respub. gaudet: quæ nunc tuorum consiliorum opem, subsidii robur, authoritatis intercessionem tanquam obsides suæ salutis & gloriæ intuetur. Gaudet vniuersa Regni Senatorum curia, eum suæ dignitatis & consiliorum primipilum & principem habitura: cuius iam nota reipub. vox atq; prudentia, nihil non magnum præclarum & salutare patriæ pollicetur. Quid tota Poloniæ nobilitas, quantam de tuo & nomine & honore capit voluptatem? quæ dum te præstanti, & virtutis & doctrinæ & gentis gloria summè clarum considerat: magnam fore & patriæ & religioni accessionem commodorum atq; gloriæ confidit. Itaq; Illustrissime Domine, etsi luctuosa mors sanctissimi & doctissimi Antistitis Laurentii Gembicki, graue animis nostris vulnus doloris inflixit: tamen tui Nominis amplitudo & optata successio tanto maiorem nobis attulit lætitiam: quanto plus Tibi de excelsa tua virtute, de promerito honore, de singulari sapientia debemus glatulari. Verumenimuero quantum de tua dignitate percipimus voluptatis: tantum de nostra tenuitate dicendi, mæstitiæ & doloris. Delectat nos virtutum tuarum splendor atq; amplitudo: sed impar tantis virtutibus efferendis ingenium non mediocriter angit. Exultamus gaudio ad Tui nominis tuæq; dignitatis memoriam: sed conscia tenuitatis in dicendo mens conceptum animo gaudium interpellat. Quid ergo Illustrissime Domine? quemadmodum cœlites, non tam accuratis adorantium precibus, quam sanctitate & innocentia lætantur: gratioremq; existimant, qui delubris eorum gratam & sinceram voluntatem, quam qui meditatum carmen intulerit: Ita tu Illustrissime Domine, non verborum in nobis splendorem atq; apparatum, sed voluntatis studium, & bene cupientium animorum desideria spectabis. Certent alii in tuarum virtutum laudibus, magnifico & rerum & verborum sumptu: vincat quicunq; volet, vel adstricta numeris & modis eloquentia, vel copiosa verbis atque*



sententiis

*sententiis oratione : animi tamen studio & sincera atq; integra voluntate, nos nemo vnquam vincet. Patere itaq; Illustrissime Domine, nos in latissimum Tuorum meritorum campum ingressos, vel Tuo nomini plausum dare, vel tuas virtutes admirari ; id maximum à Te plausus & admirationis præmium accepturos, si tua beneuolentia & humanitate amænissimos & longè patentes virtutum tuarum recessus liceat nobis non penitus, sed longe saltem intueri.*

*Sed antequam in primos virtutum Tuarum aditus pedem inferamus : adest Illustrissime Domine, quod nos prima fronte & vestibulo, tanquam manu iniecta, tenet. Nam sicut ad palatiorum propylæa egregio perfecta opere, admirantium oculi & pedes consistunt, priusquam vel ad parietes conchyliatis vestitos peristromatis, vel ad thesauros regia plenos gaza intro veniatur : ita excellens animi tui & virtutis domicilium, augusta facie atq; intuitu, & oculos omnium nostrum & animos in se conuertit. Quem enim plena dignitatis, digna admiratione, admirabilis grauitate talis viri tantiq; Principis facies non moueat ? Qua in re non vereor, Illustrissime Domine, ne me quispiam vel tam insolentem in dicendo, vel tam copiosum in augendo, vel tam liberum in blandiendo existimet ; vt omni ex genere orationem aucuper, omnes vndiq; flosculos laudationis carpam atq; delibem ; vt me, qui Te non norint, omnia nimis augere atq; ornare arbitrētur. Scio quid grauitas tua, quid hæc oratio, quid ille dignitatis locus postulet. Hoc dico, si quid Maiestas corporis animo addere potest, in Te profectò & præstans animus, & excellens nobilitas, & perfecta virtus reperit personam atq; speciem dignam principatu. Non immeritò enim doctissimi viri dicunt ; naturam ipsam vel potius naturæ authorem DEVM, magnis mentibus domicilia corporum digna construere : vt ex vultu hominis ac decore membrorum colligi possit : quantus illam sedem cœlestis spiritus intrauerit habitator. Altius sese extulit supra mortales animos, Herculis fortitudo ? sed & augustior supra homines forma longè vsitatam cæterorum speciem multumq; superabat. Quis fuit post hominum memoriam in omni genere bellandi Alexandro Macedoni par ? At illi animo tanta inerat personæ Maiestas : vt non plura regali sceptro, quam vultu diuino regere videretur. Ita sanè splendida est vbiq; virtus : sed splendidior, cum à corporis dignitate lucem mutuatur. Admirabilis est etiam in Thersite : sed longè admirabilior, cum præstans indoles, virtutis adiuuat Maiestatem. Digna est, vbicunq; est, cultu & amore : verum dignior, cum ei præclarus decor testimonium præfert. Itaq; te, Illustrissime Domine, cum ingredientem ciues patriæ vident : & sequuntur oculis & animis tenent. Hæc Tua veneranda pariter & grata amplitudo, & perstringit grauitate, & inuitat gratia aspectum. Pulchrum profectò & cœleste prodigium : cum in te summam sapientiæ grauitatem honor capitis ; copiosam dicendi facultatem, dignitas oris ; animi constantiam, ætatis maturitas ; omnium deniq; virtutum speciem, personæ indoles senatoria mirificè commendat.*

*Tam di-*

*Tam dignum igitur & præstabile corporis domicilium, quem & qualem animum incolere arbitramur? quæ vel sanctitatis vel doctrinæ ornamenta, digna hæc regiis & heroicis virtutibus habitatio conclusit? quæ non dicendo exornare, sed enumerando percensere non est facultatis nostræ, non est ingenii. Feres æquo animo, Illustrissime Domine, tuarum virtutum locum studio à me præteriri. Quæ enim par tuis virtutibus, dicendi vis & copia inueniatur? quis tam est diuino & incredibili genere orationis, qui Tuæ prudentiæ amplitudinem consequi dicendo possit? Admiratur sanctum illud Senatorum concilium tuam non modo in eloquentia vim, sed etiam in consilio grauitatem. Videt vniuersa respub. quam religioni & reipub. commodo atq; dignitati faustè feliciter prosperèque cesserit: quidquid est tuæ prudentiæ, vel publico Polonæ ciuitatis conuentu, vel priuata Regiæ Maiestatis voluntate vnquam commendatum. Hoc illud est profecto, quam ob rem vniuersi patriæ ordines, Te summum sacrorum in Polonia præsidem, te moderatorem publici consilii, Te principem Senatus esse voluerunt: vt & maiestatem curiæ æta.e tueveris, & reipub. statum prudentia adiuuares. Quid enim est, quo nunc resp. magis indigeat, quam perpetua hominum doctissimorum cura & gubernatione? Nam si Patriæ nomine, religio, aræ, templa, vrbes, ciuium salus, amici, bona & fortunæ omnium continentur: qua prudentia, qua literarum eruditione, qua sapientia oportet esse eos: qui patriæ regendæ & custodiendæ curam susceperunt? Quis enim nescit; eorum, qui reipub. præsunt, omnis officii vim in eo sitam esse: vt & grauitate consilii, patriæ salutem conseruent: & vocis libertate regni leges tueantur? At quæ in eo consilii prudentia, quæ & ornate & sapienter loquendi potestas: qui diuinos sapientiæ fontes minimè degustarit? Tuam igitur prudentiam, tuum consilium & respub. & religio expetiuit atq; principe collocauit loco, Tuam incredibilem sapientiam maior Polonia suspexit: Te religionis suæ; Te sacrorum patronum atq; defensorem obtinuit: vt in tua sede tanquam in specula positus, pro aris sanctissimis excubias agas: & si qua vel perdita in flagitiis licentia tanquam tempestas, vel perniciosa in sacris negligentia tanquam malacia religioni impendeat: Tu perpetua vigilantia, summa prudentia, maximoq; consilio, velis alteram dispellere, alteram excitare. Gaudet Varmiensis diœcesis Stanislao Hosio; Martino Cromero, & cæteris præsulibus, qui non modò fuerunt virtutis & religionis gloria illustres, sed etiam in omnium artium liberalissimis studiis doctrinisq; versati. Gloriatur Cracouia, suis Gedeonibus, Grotis, Iuonibus, & maximè sanctissimo Christi athleta Stanislao, cuius corporis exuuias tanquam sacrum fidei depositum, & certos auxilii obsides tenet. Exultant cæteræ diœceses: Antistitum suorum honoribus, & rerum gestarum gloria: eorumq; sapientiam literis & commendatione ad sidera extollunt. Hæc ipsa etiam Gnesnensis sedes, tuis iam virtutibus præparata quot & quantorum virorum, cum sanctitate tum sapientia iure gloriari potest? Mitto eum qui profuso sanguine Prussiam cruentauit: quid,*



inter cæ-

inter cæteros, duo illa Poloniæ lumina & gemini Hæreticorum terrores, Zbigneus Oleſnicius, & Staniſlaus Karnkouius, quam fuerint omni prudentia atq; optimarum artium ſtudiis eruditi, quis ignorat? Quorum alter & fortiſſimus libertatis Eccleſiaſticæ defenſor, & acerrimus Orphanorum Hæreticorum extitit oppugnator. alter non modo virumque in vita diligentiſſimè præſtitit: ſed etiam, qui poſt ipſius mortem præſtare poſſent, liberaliſſimè in Caliſſienſi Collegio prouidit Huic igitur talium virorum numero Illuſtriſſime Domine accedes: Te quoque pro Tua ſumma atque diuina prudentia omnis poſteritatis memoria inter eos ſine dubio ponet atque celebrabit: qui Chriſtianæ religionis fundamenta, in Polonia maximæ prudentiæ maximarumq; virtutum ſubſidiis tenuerunt.

Ac ne quiſpiam fortaſſe exiſtimet, cui tuæ incredibiles virtutes perſpectæ & cognitæ non ſunt; me hæc ipſa nimium dicendo extollere: oculos in Te duntaxat atque animum conuertat; facile me perſpiciet minimam etiam virtutum Tuarum partem non attigiſſe. Nam in te ita virtutes omnes inter ſe certant; ita cognatione quadam & vinculo continentur: vt cum vnam accipias, infinitam poſt ſe tanquam catena colligata multitudinem & numerum trahat. Ita ſunt inexplicabiles virtutum tuarum ductus & mæandri, vt longe ſit difficilius in iis exitum quam principium inuenire. Vnam tantum aliquis prudentiam ſumat huic eſt ſumma coniuncta prouidentia atque conſilium: conſilio, adnexa animi conſtantia: conſtantiam ſequitur fortitudo; fortitudinem temperantia & rerum omnium modus. hic ſocietate quadam atque amicitia trahit humanitatem, humanitas munificentiam, munificentia magnanimitatem, ex qua iam naſcitur magnus & inuictus tuus ille animus, in tuenda & religionis & legum libertate. quibus denique omnibus perpetuam præſtat ſuffragationem, princeps & regina virtutum iuſtitia: â qua tanquam â fonte innumerabiles virtutum tuarum flexiones, infiniti Euripi oriuntur. Non enim vna aliqua virtute, ſicut cæteris permultis, tibi â natura & ſtudio florere datum eſt. Enituit aliquis prudentia; ſed intemperantia obſoleuit: alium ſeueritas extulit; ſed depreſſit auaritia: ille iuſtitia floruit; ſed non munificentia: alium ſenatoria ſubſellia, ſed non virtutes honeſtarunt: reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit: ille gloriam pietate obtinuit; hic ſapientia. Poſtremò rariſſimus extitit, cuius virtutes vel omni abſolutæ numero, omnes inter ſe necterētur; vel nulla vitiorum labe aut faltem confinio læderentur. At in Te, Illuſtriſſime Domine, quantam concordiam, quantumque concentum omnium laudum & gloriæ admiramur! vt nihil ſeueritati tuæ, comitate, nihil grauitati facilitate, nihil amplitudini humanitate, nihil deniq; præſtantiſſimis & infinitis virtutibus oppoſita aliqua vitii macula detrahatur. Næ ego, hic Peripateticorum Principem; ſi hominem definiat; imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſum, inconſtantiæ imaginem, inuidiæ & calamitatis trutinam; atque id vniuerſe & generaliter verum eſſe exiſtimet; facile ab vna tua præcipua perſona atque

ſingulari,

*singulari, manifestæ conuincerem falsitatis. Quid enim? si Te sanctimoniæ exemplar, æui huius ornamentum, felicitatis in virtute positæ spectaculum, constantiæ & fortitudinis imaginem, omnium deniq; virtutum collegium definiam: quis est qui orationi meæ assensum atque approbationem possit denegare? Atqui arbitror, Illustrissime Domine, quod Græcorum sapientes, hominem, Microcosmon appellarunt: id æquius & excellentius in Te iure merito conuenire. Nam quidquid virtutum & ornamentorũ, natura cæteris attribuit; id totum in Te tanquam in mundi summam admirabili compendio collegit. Lucet in Te Szyszkouii Antistitis præstans religionis studium: Lipscii sapientia & inuicti animi magnitudo: Pruchnicii magna in egentes munificentia & opum contemptio; Wezycii & serpentis prudentia; & humanitas columbæ: Cielecii excellens vitæ integritas: Zadzicii prudentia & comitate sermonis, & animi mansuetudine temperata: Nowodworscii ingens diuini cultus propagandi ardor: Radoseuii vel in mentibus dissidentium conciliandis vel in peruersis barbarorum moribus temperandis industria: Lubinscii denique præclara vitæ sanctitas & diligens atque perpetua animorum cura.*

*Quid de iis dicam, qui vitæ statione relicta, suæ quique virtutis in Te memoriam reliquerunt? Sileo nunc cæteros, quorum ex annalibus memoria esset eruenda: Magnum illum Karnkouium flagrãtissimo pro Ecclesiasticis immunitatibus studio; Rozdrazewium, sanctitate morum atque innocentia; Tarnouium, animi magnitudine; Tylicium prudentia; Baranouium, Pastorali sollicitudine; Pstrokonium, admirabili vitæ sanctitate; Gembicium humanitate, clementia, beneficentia adæquasti: atque adeo claritate etiam generis, familiæq; antiquitate & fama, longo post Te interuallo multos reliquisti. Quæ domus tam clara, quæ gens tam nobilis, quæ familia tam antiqua in regno Poloniæ censetur: cum qua & summorum virorum nominibus, & rerum gestarum gloria & exactarum ætatum multitudine, clarissimi generis Vestri Prosapia nequeat conferri? Producat longa serie quæcunq; volet Poloniæ stirps, & quotcunq; fumosas auorum imagines: tot ego illustrissimorum virorum nomina ex gente Leopardia facile demonstrabo. A paruis ortæ principiis pleræq; Poloniæ domus, in eam, quam videmus, magnitudinem creuerunt: Illustrissimos Firleiæ stirpis primores, & res gestæ, & publici Magistratus, ad posteritatis memoriam transmiserunt. Quid enim? Ostasius Firley Dapifer Cracouiensis præstanti virtutis gloria summè clarus, quam fuerit & patriæ caritate & Regis amicitia insignis, quis ignorat? Quid Stanislaus fortissimus militum Dux & belli gerendi administrator; qui Scythicam illam colluuiem, quæ circum Lublinensem arcem, terram inundauerat, exiguis ordinibus egregie profligauit? Quid Petrus Terræ Lublinensis Iudex, cuius iudiciariam sedem seruare æquitas & prudentia videbantur.*

*Quod si honorum & Magistratuum quæritur contentio: dicere sine inuidia possum nullum fuisse in Polonia tempus, quo non Firleia domus summis & maximis honoribus*



*suam fi-*

*suam fidem & operam reipub. administrandæ impenderit? Nunquam, Illustrissime Domine, Maiores Tui, aut visi aut auditi, tanquam humiles herbæ intra domesticos parietes priuati latitare. Semper & summis honoribus & pulcherrimis facinoribus in repub. floruerunt: semper eos scimus eum dignitatis Senatoriæ tenuisse cursum, vt continua quadam successione, lampadē honorum & tradere posteris & accipere posteri viderētur. Ac ne cuiquam videar nimium vel studiosus in quærendo, vel fastidiosus in percensendo: omitto maiores tuos, qui trecentos abhinc annos summa virtutis & prudentiæ laude semper reipub. dignitatibus præfuerunt. Secutis propius temporibus, celebratus famā Nicolaus Firley, Castellanus Cracouiensis? Hic Petro prognatus, à cuius tribunali Lublinensis regio tanquam ab oraculo pendebat. Consecutus Petrus Terrarum Russiæ Generalis Palatinus? Hic Nicolao prognatus. Consecutus Ioannes, pater Tuus Illustrissime Domine, Senator patriæ grauissimus? Hic Petro secundo prognatus. Consecuti sunt vna tecum, Illustrissime Domine, Fratres Tui Nicolaus Palatinus Cracouiensis: Andreas Castellanus Radomiensis: Ioannes Castellanus Woynicensis: Petrus, Palatinus Lublinensis, Parczewien. &c. Capitaneus, vitæ iam curriculum emensus. quo prognati, Stanislaus Palatinides Lublinen. Petrus, & Nicolaus, demum Ioannes Præpositus Pultouiensis, Canonicus Plocensis. quos omnes tanquam obsides Firleianæ virtutis patria amplectitur.*

*En, Illustrissime Domine, de patula stirpis tuæ arbore, relictis dextri sinistriq́ lateris frondibus, vnum tantum decerpsi ramum; quem ita fruticatum esse vides; vt ex eo tanquam è virgula diuina, magnorum Senatorum surculi nunquam in Polonia deficerent. Atque hanc Tuam, Maiorumq́ tuorum gloriam auxit non modò sellæ curulis amplitudo: sed etiam, qua cæteri perinde ac nobilitate gloriantur, summa sapientiæ laus & doctrina literarum. Si de principe artium humanitatis & regina eloquentia quæritur: quis fuit in omni genere dicendi vel copiosior vel promptior Nicolao Firleio Rauensi Castellano? quem Ciceronem Polonicum maiores nostri appellarunt. Quod si ad seueriores Musas transeamus: Nicolaus Firleius Castellanus Bircensis, Capitaneus Casimiriensis, & regni Referendarius, vir Romanæ fidei studiosissimus, ita cum scientiæ naturalis tum iuris vtriusq́ doctrina excelluit; vti eius consilio in deligendo Poloniæ Rege tanquam Platonis voce & Lycurgi consilio patria vteretur. Quid Petrus Firleius Terrarum Russiæ Palatinus, Radomiensis & Casimiriensis Capitaneus, qui maximos Prussiæ tumultus, priuata re & summa prudentia, sine vllo reipub. sumptu Legatus composuit? cuius mortem & sacræ ædes, quas magnifice fecit; & viri sapientes, quos studiosè fouit; & egentes artifices, quos liberalissime subleuabat; diuturnis sunt lachrymis prosecuti. Quid deniq́ Ioannes genitor Tuus, Palatinus vna & Capitaneus Cracouiensis, quam fuerit doctrina atque optimarum artium studiis eruditus, quis ignorat? Quantum hic vir sapientiæ ostendit in con-*

*dit in conuentu Vormatiensi missus ad Carolum V. Imperatorem Legatus! quantum animi, cum itidem Legatus, à Bogdano Valachiæ Palatino fidem atque iusiurandum exegisset! quantum deniq; in remp. amoris, cum & munera à Carolo Galliarum Rege sæpius oblata constantissimè repudiasset: & fluctuantem domesticis factionibus patriam fortissime tenuisset! Qua in re, hoc etiam, Illustrissime Domine, lætari meritò, domus Firleia potest: cum nouem & decem supra trecentos & amplius annos famæ nominisq; sui percenseat, ei non modo vllam factam non esse gloriæ diminutionē, sed etiam longè amplius honoris incrementum in dies accedere. Quam multæ in Polonia nobilissimæ tribus & familiæ, cum Nominis & rerum gestarum lucem extulissent, aliæ iam extinctæ sunt, aliæ sensim extinguūtur: vt mihi posse videatur aut dici; Fuerant Troës, fuit Ilium & ingens Gloria Teucrorum: aut pro foribus alæ vulturum appendi, quibus Ægyptii aliquam etiamdum superesse familiæ stirpem significabant. Non eget appensis vulturum alis Firleia domus: quam adhuc continua quædam atque nunquam interrupta & magnorum virorum, & magnarum virtutum series illustrauit.*

*At enim togæ tantum fortaße & pacis gloria Maiores Tui claruerunt? Enimuero cum vestram & belli & pacis gloriam considero: incertus animi pendeo, vtri sit maior eminentia tribuenda. Ex hac parte pro domestica gloria pugnat prudentia, ex altera pro bellicis laudibus fortitudo: hinc nobilissimi generis nomen, illinc rerum gestarum amplitudo: hinc pacis conseruatæ fama, illinc periculorum susceptorum memoria: hinc gestorum in repub. Magistratuum splendor, illinc mortis pro repub. oppetitæ meritum: hinc ciues patriæ amantissimi, illinc milites bello fortissimi: hinc denique Senatores in pace & gloria togati, illinc Imperatores in victoriis & triumphis trabeati. Ad hanc ego controuersiam dirimendam, illum Asiæ terrorem, Tamerlanem, & legiones Scythicas aduocarem. Testis ille fuit Firleianæ virtutis atque animorum: testes barbarorum copiæ & ingentes fusi exercitus: testes Sokalienses campi sanguine Getico & cadaueribus cruentati. Nunquam vel obliuione eorum qui sunt, vel reticentia posterorum sepulta esse poterit virtus Firleiorum, qui contra Chantemirum Tamerlanem acerrimè pugnantes extremum spiritum in ipsa victoria effuderunt. Nunquam eorum, qui aut Lublinense viderunt monumentum, aut Socaliensem audierunt pugnam, gratissimus sermo conticescet de Nicolao Aui Tui fratre; quem eodem bello Mars ipse ex acie tanquam fortissimum militem pigneratus est. Multos alios prætereo volens, qui mortem naturæ debitam, pro patria in acie reddiderunt: quibus cum breuis data vita esset; memoria data est vita benè redditæ sempiterna. Vnum illum Nicolaum Firleium Proauum Tuum Supremum Exercituum Poloniæ Ducem nulla vis orationis, nulla posterorum ætas satis laudare poterit. Annibalis hic opus esset iudicio; qui quod à Scipione rogatus de summis Imperatoribus, primò Alexandrum, secundo loco esse Pyrrhum; &, si Scipionem vicisset, his ipsis priorem*

*semet futurum fuisse respondit: si Nicolaum Firleium nosse potuisset; non Pyrrhum, sed Nicolaum secundo posuisset loco. Quid enim in Pyrrho posteritas admiratur, quod non amplius in Nicolao habeat admirari? Pyrrhus cumprimum Alexandrum minorem Macedoniæ regem, regni parte: deinde Demetrium toto regno exuisset: ipse à Lysimacho superatus, tota Macedonia pulsus est: Nicolaus Firleius longè ampliorem regno Macedonico Prussiam intestinis bellis agitatam atq; à regno Poloniæ auulsam, ita in antiquum statum restituit: ut vix adeo vestigium & signum Cruciferorum in ea sit relictum. Pyrrhus Romanorum vicit Imperatorem; sed ita vicit, ut à M. Curio postea superatus, ex illis triginta millibus, quæ in Italiam deportarat, amissis elephantis vix septem millia in Epirũ secum reportarit: Nicolaus ad Zawranam fluuium ingentem vicit Scytharum multitudinem, quos neq; Macedonica neq; Romana arma unquam domuerunt: atq; ita vicit: ut cæsis pene ad internecionem copiis barbarorum, paucissimi fuerint è nostris desiderati. Pyrrhus ex Epiro in Macedoniam vocatus, indeq; pulsus in Italiam, ex Italia in Siciliam, deinde in Macedoniam, tum in Græciam turbine quodam inconstantiæ & rerum nouarum studio ablatus cum & Lacedæmonem & Argos capere non potuisset, muliebri tandem atq; adeo aniti manu interfectus est: Nicolaus maximis ex hoste latis victoriis, cum ei Martis iniuria & ferrum egregio militi & militari Duci nocere non posset, & virtutum & victoriarum plenissimus beatorum sedem atq; domicilium consecutus est. Pyrrhus ob id clarus Annibali visus, quod suos castra metari docuerit: Nicolaus, primus in Poloniam metandorum castrorum intulit rationem. Deniq; noster ille Alexander Rex, faustè ac feliciter regno est Poloniæ potitus? Hoc duce Nicolao factum. Cum Baiazeto Turcarum Imperatore ictum fædus pacem reip. comparauit? Hoc Duce Nicolao factum. Glinscii hominis turbulentissimi repressus furor metu patriam liberauit? Hoc Duce Nicolao factum. Albertus Marchio Brandeburgensis, Magister Cruciferorum, & Principis titulo ornatus est, & fidem Poloniæ sequi coactus? Hoc Duce Nicolao factum. Atq; ego etiam hoc Nicolaum longè admirabiliorem Pyrrho & ipso Annibale video; quod cum illi Pœno à Maharbali Præfecto Equitum recte fuerit dictum; vincere scis Annibal, sed victoria uti nescis; Nicolao Firleio tanta inesset & vincendorum hostium & utendæ victoriæ scientia: ut & bellorum successus, Imperatoris gloriæ; & victoriarum usus, patriæ saluti cesserit semper.*

*His igitur maioribus, his principiis profecta virtus Tua, Illustrissime Domine, non modo summam ab antiquissimo genere, lucem gloriæ accepit; sed etiam reddidit cum fænore longè ampliori. Multos illustrauit splendor natalium: sed vitiorum maculæ deformarunt. Alii præclaris Maiorum factis & virtutibus gloriantur: at ipsos ignauia & omne domesticum flagitium tenet. Illi fumosas auorum imagines longo ordine recensẽt: at earum nihil in se habent præter colorem. Maiores rerum gestarum gloria optimè; posteri*

*scelerum*

*ri scelerum patratorum infamia, pessimè audierunt. Aristippus acerrimo fuit in Philosophia ingenio: at eius filii incredibili stupiditate laborarunt. Quis fuit Scipione Africano, bellicæ laudis gloria illustrior? at ipsius filio quis ignauior, qui in victoriis & triumphis patris educatus, cum acrius bello premeretur, victas & vinctas manus ille galeatus lepus Antiocho dedit. Quis Octauio Augusto, virtute temperantiæ augustior? quis ipsius posteris Cæsaribus in omne flagitii genus proiectior? Parens facundiæ Romanæ Tullius non oratorem, sed decoctorem progenuit; sic vt ex illo eloquentiæ flumine, non orationis riuus, sed potationis gurges promanarit. Ita à Maiorum suorum virtutibus posteri desciscunt. At in Te, Illustrissime Domine, dubium est; Tibi maiores Tui, An Tu, Maioribus gloriam contuleris ampliorem. Quæ enim virtutes Tuæ? quæ res gestæ? quam præclara in Remp. merita? quam salutaria patriæ consilia suppeditata? Itaq; Tuis maximis virtutibus vniuersos regni ordines Tibi obstrinxisti. Te vnum præ multis acerrimum legum propugnatorem Nobilitas expetiuit: Te Senatus amplissimus, & consiliorum principem & regni Primatem gaudet esse constitutum. Te Gnesnensis sedes Pastorem vigilantissimum concupiuit: Tuo studio atq; contentione & infelix Hæreseos lolium extirpari, & obsoletum templorum cultum renouari, & collapsam vitæ disciplinam restitui, deniq; antiquam Poloniæ pietatem suscitari posse, non dubia spe sibi pollicetur. An enim non omnia fausta & præclara de eo expectemus? qui primam ætatem non parietum & tenebrarum custodiis texit? Tu in luce orbis terrarum & arce omnium gentium Romana vrbe magnam vitæ partem exegisti. qui annos ineuntis adolescentiæ non in vanis blandimentis egit? tu florens æuum in virtutis & probitatis cultione, in liberali & ingenuo literarum vsu, in honestissimo sapientiæ studio traduxisti. qui amplissimis in repub. & Romana & Polona officiis sit perfunctus? Tu & Romæ Clementis Octaui Camerarius, & in Polonia Regni Referendarius summa laude virtutis & gloriæ floruisti. qui nobilissimas legationes maximo consilio obiuerit? Te cum Caietano Cardinali Legatum & Polonia venientem, & Germania transeuntem & Italia reuertentem admirata est. qui tot Ecclesias sapientissimè ac religiosissimè administrarit? Tu, & Miechouiensis & Plocensis Præpositus, Scholasticus Cracouiensis, demum Episcopus Plocensis, & vitæ sanctimonia & sapientiæ laude, Poloniæ admirationem in Te conuertisti: ita vt Gnesna Ecclesiarum in Polonia Princeps, Te suæ sedi voluerit esse destinatum.*

*Quamobrem ingredere fortunatus, & felix sedem tuam cape, Illustrissime ac Reuerendissime Antistes. Graue est flexæ ætati impositum onus: sed Tu & religioni atque patriæ natus es: & obtemperatio ciuium afferet leuationem grauitatis. Nos & Tibi animorũ voluntates, & pro Te votorũ studia persoluimus; bonus & fauens* DEVS *faciat; vt & regas felix, & viuas diuturnus.*

IOANNES DOBRZYCKI.

# PROSAGOGE EPICA

EST in secessu nemorum, quà Varta profundus
Alluit vmbrosas sinuatis flexibus alnos,
Arboreis crinita comis, & flore recenti
Nectareos Musis effundens, vallis odores.
Ter geminos lapides Gnesnensi distat ab vrbe.
Non aliam Chlorisque magis Zephyrusq; frequentat.
Vitrea multicauo saliens e pumice lympha
Mobilibus lambit rorantia gramina riuis:
Panchææ nascuntur opes, quas candida Nais
Attulit in Lechicos Siculo de monte Triones.
Et semper tardæ rediens post frigora brumæ,
Roscida multiplici depingit prata colore.
Huc animi causâ, populos vrbesque relinquens,
Iam pertæsa fori, famâ comitante voluci,
Contulerat sese Gnesnensis Gloria terræ.
Quam simul Ascrææ longe videre sorores:
Gramineam viridi componunt cespite sedem:
Insternuntque rosis, & mistis lilia calthis
Accumulant: totoque torus stipatus Hymetto,
Spirat odoratis vernantem floribus Hyblam.
Illa subit, Musæ subeuntem voce salutant.
Aurea regali refugos à fronte capillos,
Barbaricis ridens gemmis, complexa corona:
Ardent Oebalio saturatæ murice vestes,
Sericeisque nitens pensis intermicat aurum:
Candida gemmatum moderatur dextera sceptrum.
Sederat: Aonius sedem circumstetit ordo.
Illa salutatum, verbis affata benignis,
Pontificum, quos Gnesna tulit, monimenta reuoluens,
Inchoat: & prima repetens ab origine, longo
Ordine deducit Gnesnensis gesta tiaræ.
Excipiunt dictata chori, Dryadesque puellæ:
Atque perennantes, per seros vsque nepotes,

Pontifi-

Pontificum, multo, consignant nomine, chartas;
Hic primum Lyrico celebratæ carmine laudes,
Viebaline, tuæ: cui sacram Gnesna tiaram
Contulerat primo, quem multi deinde secuti.
Inde Sophocleo cantatum triste cothurno
Funus Adalberti: gelidâ quem terra sub Arcto,
Sustulit e medio crudeli morte peremptum.
Hic Clio, ducens gemitus, ô Prussia, dixit,
Cæde cruentasti patrios ingrata Penates.
Dicentem, tristi gemitu; lachrymisque secutæ
Plorantes Musæ: cum vultu Fama, sereno
Exclamat; meliora Deæ: iam claudite riuos
Pontificum veteres: satis isto fonte bibistis.
Prole Medusea prognatos linquite fontes,
Iam non Pegaseis excussum calcibus amnem;
Sed Leopardina vobis virtute profectos,
Firleia, fontes, aperit, de gente propago:
Henrico, si nescitis, iam vistula spumans
Summum Gnesnensis solii gratatur honorem:
Noster adhuc tacitis fluitabit Varta susurris?
O si, Gnesna, tuas rumor citus impleat arces.
Interea lenem percussit sibilus auram.
Prospiciunt Musæ, celeri quem forte volatu
Aura ferat. Venit ecce Ducum, Regumque vetustis
Gnesna potens bellis, intonsi Regia Lechi.
Viuida prægreditur Virtus, perfusa rubore,
Fert viduum Pastore pedum, sacramque decussim.
Pone subit, terræ quondam Regina Polonæ,
Gnesna, coruscanti præcingens tempora mitrâ:
Indus obit digitos adamas, Scyticique Smaragdi,
Aurea sidonio vestis contexta paratu,
Arte laboratas hominum Diuumque figuras,
Mentitosque refert viua sub imagine vultus:
Sudat Hydaspæis post tergum bulla lapillis.
Relligio dextram, Sapientia docta sinistram
Stipant: inque latus bombycina panda reducunt.

Subtus candidior Ledæo vestis olore,
In tenues deducta plicas, sulcosque fluentes.
Aureus è collo torques, Crux aurea torque,
E cruce, viua DEI pendet morientis imago.
Vt stetit in medio discussas Gnesna perauras:
Insonuere cauæ rupes, & inhorruit acri
Maiestate nemus: siluit chorus omnis. at ipsa
Protinus à solio consurgens Gloria, Gnesnam
Sic prior affatur verbis; O Numen amicum,
Sacrarum genitrix legum, vitæque Magistra,
Dic agedum, quæ causa viæ? cur deseris vrbem
Præsuleam templumque tuum? quæ nuncia portas?
Tene meam decuit per syluas quærere sedem?
Tene sequi nostros, nemorum per deuia cursus?
Non ego, Maioris prior ô Regina Poloni,
Obsequiis addicta tuis? non semper ad vnguem
Imperiis morem gessi? quæ causa coegit,
Quæreret vt princeps famulam? reuocare vagantem
Debueras, lustris frondentibus; omnia, dicto
Facturam citius, si quid tua vota petissent.
Si modo tu Regina velis, quascunque per oras
Ibimus, & nulla sub tempestate timentes,
Et rigidum cœli frigus patiemur, & æstus.
Tum sic Gnesna refert. Non me latet inclyta nostra
Gloria virtutis, quantum tua vota laborent,
Vt nostrum late possis extendere nomen.
Sed me tristis habet mæror supraque priores,
Sollicitum pectus, demum noua cura fatigat.
Scis me, cum quondam syluestribus abdita lustris,
Errabam tectisque carens & peruia ventis
Sub Ioue Sarmatio, syluis herbaque palustri
Obsita, limosis squalebam Gnesna sub vluis;
Ramosisque caput frondens onerata capillis,
Nidus eram volucrum, stabulum commune ferarum.
Eductam primus tenebrosis Lechus ab antris
Quo coluit studio! quos pertulit ille labores!
Ille perer-

Ille pererrato Cechorum limite nostram,
Thermodoontiaca tondens arbusta bipenni
Expurgauit humum: tellus tunc peruia cœlo
Reddita: cesserunt vrbi dumeta, stetere
Arces pro speculbus pro densis mænia syluis.
Hic ego Lechiacis arx princeps Regibus, vna
Imperium terræ sceptro complexa Polonæ,
Mittebam fortes in Balthica bella Monarchas:
Et dedignatem docui seruire Visurgim.
Hic niueis fulgens, labaris meus ille redibat
Ales bellator, victricia signa reportans.
Nec me Roma prior magnorum laude virorum.
Romulus Acronis victor? fuit & mihi talis,
Theutonici Regis spoliis Rex diues opimis.
Et Decii fuerant, Curii, paruoque beati
Fabricii. Nec enim nummorum sæua cupido
Cumque peregrino, pomposa superbia luxu
Intrarat regnum, scelerum comitate caterua.
Diuitiæ fuerant, virtus: laus bellica, nummi.
Quin & ego residens solio sublimis acerno,
( Has tamen hostis opes ausus contemnere nemo )
Iura dabam populis, & fusis regna Tyrannis.
Non ignota loquor; Dantisco Dania nomen
Nobile victa dedit: victoque precaria Dano
Pars data regnandi. Fuit olim Gnesna, superbum
Nomen honosque fuit. Ferus omnia Cracus in altum
Ornamenta tulit, trãslata sede, Vauelum.
Tunc iterum syluas placuit repetisse priores:
Præcipitesq; sequi damas, & figere ceruos.
Versarique feras inter, saltusque ferarum.
Iamque perosa genus vitæ ciuilis, & vrbem;
Interpellatos curis quæ carpere somnos
Non potui; totas cæpi requiescere noctes.
Sed Miecislaus, diuini luminis author,
Me primus syluis iterum reuocauit opacis.
Hic me Præsuleo primum vestiuit amictu:

Hic mihi Tarpeiis minime cedentia saxis
Pergama construxit: magnis altaria donis
Eduxit cœlo: me sacra sede locauit.
Sed tunc ad tantas etiam descendere curas
Non poteram flecti; studio iam rapta ferarum:
Ni pariter vitæ nobis assueta prioris
Commoda, Miecslaus Princeps, non nulla dedisset.
Norat me studiis animantum forte teneri:
Ergo Præsuleam variis animantibus vrbem,
Præsuleam sedem, sacrataque templa coronat.
Et fateor dixi: sic intra mænia saltus!
Intra tecta feræ! syluis quæsita voluptas,
Ædibus in mediis melior mihi clausa tenetur!
Gaudebam variis animantum, Gloria, signis.
Quid memorem veteri plaudentem stemmate coruum,
Vicbaline, tuo, Iezierza stirpe creatum?
Qui primus nostrum gessisti præsul honorê!
Quid, Roberte, tuum Ciolkorum gente profectum,
Cornipedem taurum? quam multi deinde secuti!
Qui nostrum tenuere thronum sacramque tiaram.
Wigniawę Bozuta decus, cui Bubalus ingens,
Vimineum patulis cyclum de naribus efflat.
Indus Hyperboreos non iactet Gryphas Eous:
Iaxa meos Gryphis ornauit Præsul honores.
Nolo tuum, Capricorne, iubar, quicunque fuisti,
Seu Pan, siue caper: Capricorno namque refulsit,
Nostra tiara nouo: quem sacra sede locârat
Kozlarogorum Zdislaus gemma virorum.
Nec tua defuerat nobis vulpecula, Fulco,
Quam nostris posuit signis domus alta Lisorum,
Iam Vlostibori transfossus vertice taurus,
Nomine Pomianum Slauo dixere priores.
Iacobi claro Swinkarum sanguine creti
Quantus aper, cui trunca manus conatur hiantes
Herculea virtute potens, diducere rictus.
Quid Iaroslai Bogoreiæ stemma, coruscis

Luminibus

Luminibus pauo clarus? velocior Euro
Accipiter, Iastrzebscy Alberti? quidque feroces
Pube tenus stantes aquilæ? quid clarior Argo
Nauis, puppe uomens Libycos proraque leones!
Mitto lanigeros deflexis cornibus agnos.
His ego Sarmatiis animantum fulgeo signis.
Sed noua cura premit, nouus angit pectora mæror:
En, me, nobilius longè Plocense tribunal
Stemma gerit! Quando Leopardi nomine tanto
Concessum gaudere mihi? sic patria dignam
Pensat grata vicem? meritis sic reddit honores?
Odi præteritas laudes, famamque priorem,
Te, Leoparde, carens. Tu nostræ, Gloria, sedis,
Si qua spes, vel si qua manet reuerentia nostri,
Duc, mihi per memores Leopardi nomina fastos:
Fac nostro Princeps animantum primus in albo
Cantetur sera Leopardus laude nepotum.
Dixerat. At contra breuiter sic Gloria fatur;
Non opis est nostræ tam nobile, Gnesna, tribunal
Arbitrio conferre viris, sed viuida virtus
Ad celsum fortes heroas ducit honorem.
Hic interpellans Virtus, Proh Iupiter inquit,
Et dubitamus adhuc, Gnesnensi sit ne tiara?
Sit ne throno virtus Leopardi digna? quid vndas
In fluuiis volumus; in Phæbo quærere lucem?
Mitto genus præstans, & quæ non fecimus ipsi:
Mitto triumphantem toties virtute Gradiuum,
Firleia; fusosque Scythas, Albimque superbum,
Frrre iugum, doctum: trabeati mitto Senatus
Firleia nunquam vacuam virtute Curulem.
Quis peto virtutes Henrici nesciat orbis?
Nouit Roma potens: nouit sacra Curia Romæ:
Ausoniæ norunt gentes; Germanaque tellus.
Miechouiæ, Craci, Plociæ populumque solumq;
Lechiacas Equitum turmas, sanctumque Senatum
Firleiæ testes virtutis, Gloria, sistam.

Non ego sublimes Henrici, carmine laudes
Decurram tenui; Slauonia tota loquetur:
Qua virtute genus decoret? submissio quanta,
Quanta viro pietas. vt nunquam prouidus altis
Intumuit rebus; sedatam nulla fatigat
Cura diu mentem; cupidi contentio lucri
Non agitat pectus: manus illi largior imbre,
Occulte sueuit viduos ditare Penates.
Ipsa sibi precium virtus illius; & ipsa
Conscia mens renuit vulgi clarescere plausu:
Quid doctæ grauitas mentis? quid dulce loquendi
Pondus, & attonitas sermo qui detinet aures?
Dificient anni, si, dicere singula pergo.
Quid nostris dubitans respondes, Gloria, dictis?
Gloria subridens sic vultu fatur amæno.
Gnesna, tuus Leopardus erit? tua sceptra tenebit?
Desine iam potius sero sperare futurum.
Non erit, ô Regina, tuus mihi crede: Quid ergo?
Est iam Gnesna tuus Leopardus: non erit, est iam.
Iuro caput, Regina, tuum, certissima narro;
Nunc mea fama mihi, Varsaua venit ab vrbe.
Hæsit, & exclamans, his, Lechia, vocibus infit;
O superi! faustoq; dies ô sole renatus!
Gnesna, tuus, Leopardus erit! sed non erit, est iam!
Hæc mihi si potuit sperari tanta voluptas!
Lætior vlla dies nostro non fulsit in orbe.
Iam Leopadus adest. Date gaudia: Ludite Musæ:
Ocyus, Aoniæ, repetamus mænia, Diuæ:
Stemmata Firleium subeuntem cuncta salutent,
Inclyta Præsuleis animantum, stemmata turmis.
Tu Rex nostrarum fies Leoparde, ferarum:
Te mea per seros celebrabit fama nepotes:
Nec præsens ætas, nec te ventura silebunt
Lustra, nec obscura rapiet sub nube vetustas.
Dixerat: & cursu iam mænia Gnesna tenebat.

*PETRVS MNISZEK.*


HIC

HIC iam Tibi, Illustrissime ac Reuerendissime Domine, gratantes eunt obuiam Prædecessores tui. quorum vicario munere, in Tui salutandi officio, stemmata ipsorum, tanquam animata insignia funguntur: Atque equidem & Rosarum, & Crucium, & Solearum, &, quæcunque Gnesnensem ornárunt sedem, Insignium vim & significationem Tua & virtus & sapientia complexa est: tamen hoc & nostræ breuitati & Tuo Leopardo compendium magis accommodatum esse videbatur, vt quibus vel naturæ vel virtutum similitudine par est: ab iis præcipuè omni officio pro merito accipiatur.




 Vnum

VNVM RELLIGIO SVBIT ET VIGILANTIA NEXVM.




VICBALINVS IEZIERZA, primus Archipræsul Gnesnæ. Anno, 966. Vir & in regenda diœcesi vigilantissimus, & in promouenda religione studiosissimus. Huius gentilitius, virtutibus Vicbalini, tanquam lampade, decurso spatio, tradita, excipit

CORVVS LEOPARDVM.

PRouida Iezeriæ ornabat Vigilantia virgæ,
 Relligioque, meum, marmore fixa, caput:
Iam tamen emensus vitæ, Leoparde, procellas,
 Trado tibi decoris, Coruus, agalma mei.
Relligio constricta tuo, & Vigilantia nexu:
 Quo cum nexu altæ symbola pacis eunt.
Perdia Relligio (bene habet) Vigilantia pernox,
 Gnesna, tuæ excubias sedis & vrbis agent.

*ANDREAS DE LESZNO LESZCZYNSKI, CAN. CRAC.*

TRICOLOS

## TRICOLOS TETRASTROPHOS

FVGABVNT SCELERVM, LEOPARDI SIDERA NOCTEM.

Excede cœlo Lechiaco, sacras
Exosa leges, praua licentia;
Dissensionumque, hæresumque,
Et scelerum, comitata turmis.
Iam clara, Gnesnæ, lux oritur; tuis
Hostis latebris: iam vigilantior
Iunonio, vetusta Lechi
Tecta subit, Leopardus Argo.
Ille, & latentes nequitiæ specus,
Et execrati dogmatis abditam
Ostendet astris fraudem & altos
Perspiciet scelerum recessus.
Insanientes, Hæreticis, dolos
Lustrabit antris. nulla rebellium
Monstrosa criminum propago
Cimmeriis latitabit vmbris.
Proscripta sacris legibus agmina
Malorum, & omnis flagitii greges
Ibunt catenati: tuasque
Nil fugiet, Leoparde, stellas.

WLADISLAVS DE LESZNO LESZCZYNSKI.

Principis ornauit merito Te nomine Virtus:
Natura ante Tibi id sed Leoparde dedit.
Princeps est, quisquis regali sanguine cretus:
Tu magno & primo Rege Leone satus.

IOANNES NIEMOIEWSKI.

✠

*HIC*
*nun-*
*quã mo-*
*ritura vir-*
*tutum te-*
*stis; Hic ad im-*
*mortalem posteri-*
*tatis memoriam Gẽ-*
*tilitiis Firleiorum ex-*
*structa Insignibus,*
*fũdata Leopardis, fasti-*
*giata Cruce, suffulta Pe-*
*do, decorata Infulis, præ-*
*cincta virtutib⁹ & reb⁹ gestis,*
*Illustrissimo ac Reuerendissimo*
*D.D. HENRICO FIRLEY*
*Archidiœcesim Gnesnensem capessenti*
*LEGATO NATO. R. P. P. P. q; P.*
*PASTORI VIGILANTISSIMO.*
*SENATORI AMPLISSIMO.*
*ASSVRGO PARNASIA PIRAMIS,*
*omnibus & Optati in Diœcesim aduentus,*
*& gratæ Ciuium in Pastorem Voluntatis*
*sempiternum æuiternâ famâ ætatum, & memo-*
*riâ secuturi temporis exhibitura monimentum.*

## *CHRONOSTICHON.*

Anno quo fecit

*HenrICo DeXtros VenIentI Gnesna trIVMphos.*

*NICOLAVS SOKOLOWSKI.*

*FVL-*

FVLGET FIRLEIVM PLENO IAM LVMINE NOMEN.




ROBERTVS CIOLEK, Arch: Gn. An. 971. Humanarum diuinarumq; literarum laude celeberrimus: summa humanitate & comitate omnibus gratissimus. Cuius indigenitalis, perfectam omnium honorum in Poloniæ regno, plenitudinem gratulatur

BOS LEOPARDO.

NON mea, sed plenæ redeuntia cornua Lunæ,
Brutorum Princeps, ô Leoparde, fero.
Fulges Sarmatii dudum, inter lumina cœli:
Hic tamen, haud pleno lumine, fulgor erat.
Defuit ipsa tuæ, Gnesnensis gloria, laudi:
Nunc plenus pleni splendor honoris adest.
Firleiam implesti lucem: nunc ergo minutis
Pro stellis, tergo Cynthia plena micet.

*NICOLAVS LIPSKI Metaph.*

## DICOLOS TETRASTROPHOS

### FIRLEIVS PLENVM LEOPARDVS CLAVSIT HONOREM.

IAm micat pleno Leopardus igne:
Ante, Firleæ, reserata, laudis,
Nunc sinus plená facie reducit
Luna recuruos.
Cinctus augusti trabeá senatus,
Sedit excelsa patriæ Curuli:
Et sago cinctus rigidi tenebat
Sceptra Gradiui.
Sæpe Firleo, Scythicas phalanges
Marte protritas, glacialis Arctos
Vidit: Euxinæ rubuère fuso
Sanguine ripæ.
Floruit belli titulis, togæque
Gloria semper Leopardus vna.
Sed minor fama, caruit Prioris
Laude Tiaræ.
Iam throno Gnesnæ stetit, in supremum
Culmen euectus: meritisque magni
Fultus Henrici, Leopardus, omnem
Clausit honorem.

*MARTINVS IOANNES ZALVSKI.*

REgalem portas, Princeps Leoparde, coronam:
Ornatur simili nuncia fulua Iouis.
Lechica nunc gemino diademate, Gnesna, regeris;
Rex Aquila, & Princeps quod Leopardus habet.

*PETRVS TARNOWSKI.*

Testis

Testis Olympiadas
Æternus in seras
Surgo colossus.
Struxere sacræ
Vrbe Calissa.
Molem Camœnæ
Præside Phœbo.
Non Bellicosæ,
Marmore spartæ
Non & vetustæ
Ære Corynthi:
Sed rebus actis
Siue per acris
Sagum gradiui.
Siue per almæ
Togam Mineruæ.
Hic Leopardos
Pedum Curules
Bella triumphos
Depingit æterna
Gloria Mnemosyne

OLATNEMADNV FVNDAMENTALO-
CAT Æternæ Diei Memoriæ CAT
VIR Quo Illustrissim. ac Reu. D. D. Henric. VIR
TVS Firley Gnesnensis Archiep. declaratus TVS
ET Lœtus posuit Phœbus. ET
FAMAPERENNISINNEREPAMAF

## ETEOSTICHON.

Anno Quo

*MVnVs, Io, HenrICVs GnesnensIs aDeptVs honorIs.*

*SVENTOSLAVS RVDNICKI.*

 Nullo

NVLLO CLAVSA MANET LEOPARDI LIMITE VIRTVS.




BOZVTA De Domo WIENIAWA, A.G. An. 1027, munificentissimus eleemosynarum largitor: disciplinæ ecclesiasticæ custos acerrimus: inopum omnium & orphanorum pater. Cuius in Polonia antiquissimus, virtutum gloriam gratulatur

BISON LEOPARDO.

Finiit Ausonium, Thules Septemtrio, nomen:
Pellæi iuuenis terminus, Indus erat.
Et qui stelligeros humeris portauerat axes;
Huius virtuti finis, Abyla fuit.
Non capitur posito, Leopardi, limite, virtus:
Nunquam finali clauditur illa DEO.
Scribe nouum, Alcide, Calpes in vertice gramma;
Plus, Leopardi, vltra, sidera, luce micant.

*ALBERTVS GRZYMVLTOWSKI Castellanides Bydgostiensis.*

## DICOLOS DISTROPHOS

ÆTERNA, STELLÆ LEOPARDI, LVCE MICABVNT.

OMnia tempus edax certorum fine dierum
Conclusit. Manibus fabricata
Pergama, Diuorum, Graio nunc puluere fumant.
Quid Solymi, bimarisque Corynthus?
Quid claræ Baccho Thebæ? quid Apolline Delphi?
Laomedonti hostis Lacedæmon,
Quam tulerat Phrygibus, dudum fert ipsa ruinam.
Ipse nouam faciemque, domosque
Mutatas, quoties Tyberis miratus, & vrbem!
Iam terra tenebrisq; sepultæ
Niliacæ, Rhodiæque, relicto nomine, moles:
Sola, mori vnquam nescia virtus,
Transigit, excidii immunis, labentia lustra.
Nec cunctis florere per omne
Æuum fama dedit. multos iam longa reliquit
Obscura sub nube vetustas.
At, Leoparde, tui quod portas dermate, cœli,
Æterna luce astra micabunt.
Fac tamen vt flectas maiori luce beata,
In Maiores sidera Lechos.

*PETRVS RYLSKI.*

VI Pardum superat Leo; Pardus odore Leonem:
Ergo victrici sunt sibi laude pares.
Pardus odore feras tenet; at Leo robore terret:
Dic, maior qui sit; terret hic, ille tenet?

*ANDREAS TARNOWSKI.*

*NON*
*SOLI*
*sed LE-*
*OPARDO*
*ERIGOR*
*OBELISCVS.*
*Procul Phœ-*
*bi lyra Patare-*
*is intenta neruis,*
*& sagitta Pytho-*
*nis imbuta cruore.*
*Procul Lauri, Hya-*
*cinthique pictura excori-*
*atusque Marsyas. Hic*
*Pedum, Crucem, Tiaram*
*HENRICI FIRLEY A.G.*
*Diœcesim suam subeuntis ad ætER-*
*nam memoriam ætatum, figit*
Calissiensis Athænei cohors
*Fastigium Leopardus ha-*
*bet: at ingentia Bello,*
*Paceque patrata facinora*
*Medium Obelisci, picta tenent;*
*Pacata armis Prussia: protriti*
*Getæ: territus Tamerlanes: Lublinum de-*
*fensum & Patria. Hic has bucci-*
*no immortali res gestas canit iu-*
*rata virtutis Firleiæ testis &*
*famula Gloria. Posuerunt Musæ*
*Æternam virtutes de virtutibus fundarunt basim.*

*ALEXANDER IAWORNICKI.*

Relligi-

RELLIGIONE, FIDE, PIETATEQ; LONGIVS AVDIS




IOANNES IAXA, A. G. an. 1148. incredibili religione & munificentia præstans. Sacri Ordinis Cistercienſium Monaſterii in ſuo pago Brzeznica fundator. Cuius gentilitius, Religionem in Deum, Fidem in Regem, Amorem in patriam gratulatur

GRYPHS LEOPARDO.

Buccina dulceſonans, Leoparde, eſt buccina virtus:
Longius & bonitas quam bona verba ſonant.
Ergo virtutes quot Te, Leoparde, coronant:
Tot claris imples Lechica regna tubis.
Relligione, Fide, Pietate ſed altius audis:
Hæc Patriæ, hæc Regi, penditur illa DEO.
Hæ magis effulgent; hæ quod maiora capeſſunt
De, Leoparde, tuis lumina ſideribus.

*NICOLAVS MIELINSKI* *Caſtellanides Camen.*



77

## MONOCOLOS

LATA VEHIT TOTIS LEOPARDVM GLORIA TERRIS.

FVlges, magnanimis orte penatibus,
Henrice, & generis stemmate nobili.
Nullas auricomus Phœbus obit plagas:
Quâ non Firleii gloria sanguinis,
Virtutumque decor splendeat inclitus.
Nouit Bistonia fisus arundine
Bellator, gelidum qui Tanaim bibit,
Martis Firleii belligeras manus.
Notum Lechiaco consilium solo,
Et doctrina sacris nota Curulibus.
Hæc inter sed enim lucida sidera
Virtutum, nitidas Relligio faces
Spargit, præcipua luce beatior:
Slauoniisque Fides cognita Regibus:
Et dulcis Patriæ prouida Caritas.
Non cedens Atauis, qui patriæ suum
Largiti egregio pectore sanguinem.
Si virtus alios vna vetat mori;
Quantis sera vehet gloria sæculis,
Virtutum tripliciTe grege nobilem.

*ALEXANDER BIERNACKI.*

CVm genus inferret brutorum, Iupiter astris:
Pro Leopardo Mars talia verba dedit.
Inuida sic rapiunt terris omnem astra decorem!
In decus oro meum vel Leopardus eat.

*IOANNES KALINSKI.*

Ex

EX
PANDO COERVLEI LEOPARDOS ÆQVORE CAMPI
DOR D. O. M. E
LA Excelsoq; Animo RI
BA Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini O
RVM: D. HENRICI FIRLEY QVE
PRO- ARCH. G. L. N. R. P. P. Pq; P. SA
SNEN GNESNÆ CRAM
SES Diœcesim faustè ingressuri CAR
PEN Et pro Religione MI
SA Et in Perfidiam NE
SO PASTORI SVO POR
RO VEXILLVM TO
RES Grati Musarum Greges MI
NEPHALIAM PHOEBI, QVÆ ME TENET, IMPLICO DEXTRAM
VE
RE
A-
O-
NI
IS
IN
ME
A
FI
LA
MO
DIS

## NVMERALE

Is DIes anno fVgIente festVs,


Gnesna, quo Henrico reseras patente

Te throno, penná repetente ponet

FaMa sVperstes.

IOANNES RAYSKI.

SPARGERE FIRLEIO PER MVNDVM E SIDERE FLAMMA.



ZDISLAVS De Gente KOZLAROGI, A. G. an. 1183: studiosissimus Ecclesiasticarum immunitatum propugnator. quo authore, contra exactiones iniustas in conuentu Lanciciensi perlatæ & sanctæ leges. Cuius gentilis, virtutum iubar gratulatur

CAPER LEOPARDO.

Tela ego vibrabam, Gnesnæ, Leoparde, per oram,
In Phlegethonteas tela trisulca feras
Tu sacri rapidum Vulcani dificis ignem,
Quo calefit probitas, vritur impietas.
Lætos, Gnesna, dies agita: lux clarior vrbi
Orta tuæ, Henrici clarior ignis adest.
Nec te deficiet tam prospera flamma: ministras
Æternum é stellis, tu Leoparde, iubar.

*STANISLAVS KRETKOWSKI Succamerarides Bresten.*

## DICOLOS DISTROPHOS

### CEDITE NOXARVM, GNESNENSI CLIMATE NOCTES.

NVllum, Prometheu, Gnesna iam debet tibi
Ignis reuecti gratiam.
Nihil moramur, Iupiter vel saxeis
Venis recondat vel polis
Reponat ignes; auferat cœlo diem.
Non, noctis æternæ pauor
Gnesnam tenebit. Ibimus, caliginis
Securi, inoffenso pede,
Ibimus: & Henrici nouo sub sidere,
Vitare criminum horridas
Licebit vmbras, & malos stygis dolos;
Quos fraude Tænariâ ferus
Orci satelles, hostis animorum struit.
Spargit perennes stelliger
Leopardus ignes: & tuas rutila face,
Polone natu grandior,
Illustrat vrbes: nec timor pectus premat
Exhauriendi luminis:
Coruscus æternabit ignis tam diu,
Leoparde quam sidera feres.

*IOANNES GLOSZKOWSKI.*

NI, Leoparde, polos & lucida sidera ferres:
Ipsi te ferrent iam, Leoparde, poli.
Sed Pater omnipotens, olim, prouidit, haberent
Sidera Gnesnenses, vt propiora, lares.

*ALBERTVS WOIVCKI.*

NONMAI ILLE

GOR- D. EGO

GO- O. M. CA-

NE- LEOPARDOQ; STA-

IS Illustrissimi ac Reuerendis- LIIS

SQVA simi Domnini CLI-

LENS D. HENRICI FIRLEY PE-

HOR Archiepiscopi Gnesnensis VS

RE- L. N. FOR-

SCO R. P. P. MA-

CA- P. Q. P. TVS

PIL- Et in toga, pacis consiliis; IN

LIS Et in sago, belli facinoribus VN

VIR clarissimo. DIS

TV- QVI PAL

TE Domi, Curulibus; LAS

AV Militiæ, Triumphis ME

RI Foris, Gloria; TE

CO VEL NV

MVS A Patria auctus: IT

FVL VEL NVNC,

GE Patriam auxit: LE-

O MVSÆ, O-

FIR Calissienses PAR-

LE Scutum DVS

I- D. HA-

A & BET.

## NVMERALE

*AnnVs qVo HenrICVs GnesnensesoMIne sedes ProsperIore sVbIt.*

*MARTINVS GLOSZKOWSKI.*

Cedite

CEDITE TARTAREÆ NOSTRIS DE SEDIBVS VMBRÆ.




FVLCO De Domo LIS: A. G. an. 1234. flagrantissimus diuini cultus propagator. Eius tempore Diuus Stanislaus Martyr Episc. Cracouiensis, in album Sanctorum est relatus. Huius sane, nouum gratulans honorem virtuti Henrici Firley, salutat

VVLPES LEOPARDVM.

Symbola pacis eunt; Coruus iam dixerat ante:
Et mihi fas fari; symbola pacis eunt.
Nonnullæ hæreseon, perturbant aëra, nubes
In sacramque vomunt fulmina dira fidem.
Iam nobis cœlos Thaumantias ista serenos,
De, Leoparde, tuo sidere nata, feret.
Satque erit, è tantis, hæc contra nubila, stellis,
Phœbeum sumas si, Leoparde iubar.

*PAVLVS WARSZYCKI, Succamerarides Siradien.*

## DICOLOS DISTROPHOS

DISIICIET DENSOS LEOPARDVS, CRIMINIS IMBRES.

RVperat Oceani positos Thetis euagata vectes:
Terrasque fluctu merserat profundo.
Omnia pontus erant: vastis simul hauserat procellis
Nereus, Olympi Caucasique rupes.
Audax Neptunus rutilum prope iam Iouem petebat,
Nimbis madenti concitatus Austro.
Sed propriis iussit, cœli pater, alueis redire:
Et arctiori nunc tenet lupato.
Inque æuum veniens, Thaumantia nubibus refixa
Proles, tumentis Tethyos monitrix.
Si fors acris hyems scelerum pluit: hæresumq; nigra
Terram veneno miscuere nubes:
Si Stygiis tam dira lues caput efferebat vndis:
Fædoque in aras imbre depluebat:
Spes, Leoparde, tuo cum sidere spes venit, propinquum,
Tam multa portans inter astra solem.
Aut tetras Titan soluet tuus, imbrium cateruas;
Cogetque in imam Tænari paludem:
Aut radiis feriet propioribus; improbique fraudes
Ostendet astris, Tartari dolosas.

*VLADISLAVS KOBIERZYCKI.*

CEde polis Arctos, Leopardus sidera poscit:
Si tenet Vrsa polos; cur Leopardus humi?
Astra tenere iuuat. sed quid? si cœlica pelle
Signa nitent, cœlos iam Leopardus habet.

*ALEXANDER OCZKO.*

NON


NON immortali, a Syrio Libano petita Cedro. nec laquearibus obryzo ridentibus auro. nec dedolatis Phidiacè trabibus ex ipso decisis Actæo monte; EX-

FIRLEY
CI VIR-
RI TV-
HEN D. TI-
OR BVS
TRV O. M. AR
CVS

NON picto e Spartanis fodinis eruto Marmore. nec coctis Ægyptio Babylonioue Vulcano lateribus, nec ære suspenso, Rhodio seu Romano more;

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Sed Firleia | Sed Firleia | ET | Sed Firleia | Sed Firleia |
| Religio- | Honorũ | OPTATO | Bellicæ | In Regi- |
| ne quam | laude | IN | laudis | am Ma- |
| constan- | quos in | Gnesnensem | gloria. | iestatem |
| tissimè | Repub. | Diœcesim | quã præ | Fide. |
| & colu- | perpe- | ADVENTVI | multis | quampro |
| erunt, | tua suc | Illustrissimi | cõsecu- | barunt |
| & pro- | cessiõe | Ac | ti, ad- | studio, |
| pugna- | gessere | Reuerendissimi | ministra | consiliis |
| runt Fi- | cõsilio | Domini D. | tis bel- | obitis æ- |
| de, Pie- | constã | HENRICI | lis morte | re dome |
| tate, Do | tia, me | FIRLEY | oppeti- | stico Le- |
| ctrina, | ritis si- | A. G. | ta, rela- | gationi- |
| munifi- | ue bel- | L. N: | tis sæ- | bus, fæ- |
| centia, | li siue | R. P. P: | pe vi- | deribus |
| virtute, | pacis | P. Q. P. | ctoriis | sanctis |
| diuini | magno | | inuicti | gratæ vo- |
| honoris | Reipu. | PRO- | Animi | luntatis |
| zelo | amore | PYLEVM | robore | studio, |
| atq; cultu | atq; cura | | atq; triũph. | atque pace. |

*ALBERTVS KOBIERZYCKI.*



VLOSTIBORVS POMIAN.A.G. an. 1279. Animi mansuetudine & honoris contemptione clarus: qui ad regendam Gnesnensem diœcesim non vocatus; sed patriæ vocibus, & ordinum omnium consensu compulsus est. Huius, honorem gratulatur

CORNIGER LEOPARDO.

CLara sonat latè virtutum fama tuarum:
Et supra ætherias euolat illa domos.
Illa meas, Leoparde, aures tenet: illa sonoris
Virtutum, replet Lechica sceptra, modis.
Certet Apollo tuis, olim victrice superbus
E cantu lauro, certet Apollo tubis.
Tu nomen sanè Phœbi, Leoparde, referres:
Sed Phœbus, vereor, Marsya ne fieret.

*PETRVS WALEWSKI Vexilliferi Sirad.*

## TRICOLOS TETRASTROPHOS

OMNIPATENS NOVIT LEOPARDI SIDERA

*MVNDVS.*

HEnrice, magni lux tibi nominis
Porrexit alto ſtemmata ſideri:
Qua ſoluit è curru iugales
Emeritos Patareus Apollo,
Et quà coruſco vectus in eſſedo,
Præmittit Indo Phoſphoron æquore;
Quaque in nigros, ſublimi Olympo,
Aethiopas iaculatur ignem.
Superſtes altæ protulit orbitæ
Pennà volucri fama tuum decus;
Seu Martio ſago paratum,
Siue toga docilis Mineruæ.
Norunt, & Iſtrum quæ Scythicum bibunt;
Et quæ profundis Danubius ſola
Peruadit vndis: Vanda nouit
Magen, tuum, Leoparde nomen.
Viues perenni laude beatior,
Antiqua quotquot Gneſna feret dies:
Dum ſceptra Lechi, dum manebit
Firleiæ domus alta gentis.

*ALBERTVS SZOLDRSKI.*

SArmata, nonne vides, quibus es munitus ab armis?
Et tua, præſidiis ſub quibus ora latet?
Lucifugas volucres fugat áere regius ales:
Pellis humo rabidas, tu Leoparde, feras.

*ALBERTVS GZOWSKI.*

✠

IN
FV CA
LA PVT
FIR O
LE- CA LE-
I PITI O
IS SENATVS PAR
TEX & Principum DE
TA Regni Poloniæ, TV
E Illustrissimo VM
VIR Ac Reuerendissimo Di-
TV D. HENRICO FIRLEY DV
TI A, G. L, N. R, P, P. Pq; P. COR
BVS, PALLAS HO-
AV D. D. D. NO
CTO, Præterite nouâ coronâ. RE.
seu seu
mu ad-
to do

# INFVLA

*Illustrissime ac Reuerendissime Antistes,*

TIBI EST

Meritorum distincta gemmis
Maiorum ornata lapillis
Virtutum fulgens auro.

*HÆC*

Tenuibus Parnasi contexta modis
HANC ETIAM
Impari quidem ornatu: sed pari animo laboratam
Vel indue, vel specta.

*ANDREAS RADOLINSKI.*

Detinet

DETINET ORPHEVS CONCORDIA FOEDERA SERMO.




IACOBVS SWINKA, A, G. an. 1283. Quem cum cæteræ virtutes commendabilem fecerunt: tum singularis munificẽtia partim in egentes & miseros; partim verò in templa & Dei & Diuorum. Cuius cognominis, nouum gratans honorem excipit

APER LEOPARDVM.

QVæ fruitur patrio discordia sæua cruore,
Cædibus exultans sanguinolenta suis:
Non hæc Lechiacis regnabit perdita, terris:
Per sua, nec faciet, Lechus vt arma ruat:
Concordes animos tua vox, Leoparde, tenebit:
Et tuus in patriam, fœdera iunget, amor.
Ipse tuæ laurum linguæ concedet Arion.
Cœlestem Orion cedet & ipse locum:

*ANDREAS WEZYK:*

# MONOCOLOS

## CONCORDES ANIMIS LECHOS, LEOPARDE, TENEBIS.

NVnquam hoſtilis ſæua Gradiui
Tantum fundunt bella cruorem:
Quantum, patriæ ſeditioſis
Diſcors gladiis, haurit Erynnis.
Vix, alieno ſuperato hoſte,
Pacata tulit Bellona togam:
Cum ciuilis ſigna cruoris
Iterum tollit: patrioſque lares
In bella vocat lituo triſti.
Sic poſt actos Roma triumphos
In ſua vertit viſcera ferrum:
Victrixque orbis, viribus ipſa
Primum didicit propriis vinci.
Procul à noſtris vrbibus atrox
Procul Erynnis. Leoparde, tua
Spondet pietas, patriæ pacem.
Tua concordes, ſtabili pacis
Fœdere, Lechos lingua tenebit;
Pro pietate & pacis amore,
Faciens ſancto verba Senatu.

*MATTHIAS BAKOWSKI.*

VNde tibi, Leoparde, corona? Tyche an bona, faſces
Iuſſerat in fortes exeruiſſe feras?
Labitur illa rota; tu, fers diadema, perennis:
Hoc igitur Virtus, non Dea cæca, dedit.

*MATTHIAS MAKOWSKI.*

Sum

✠

SVM
CRV
ODORO X ANTHENE
REL-
L I-
G I O
P O-
S V-
I T:
P I N-
X E-
R E
S O-
R O-
R E S.

LEOPARDO
SVAVEOLENTI
Relligio Crucem,
ODORO DISTINCTAM XANTHENE
Non ex Hippoboti pratis petito
*SED*
EX VIRTVTIBVS FIRLEIIS
*QVIBVS*
HENRICI LEOPARDVS
Est Bonus Odor Christi.

*TEMPORALE*


Anno, quo Henricus Firley

*ObtInVIt Gnesnæ, rara VIrtVte, DeCVs sIM.*

*IOANNES PVDLOWSKI.*

 Magnum

MAGNVM EST LVCERE, AVT ARDERE: AT MAIVS VTRVMQ;



IAROSLAVS BOGORIA, A. G. an. 1342. De quo ſic Poëta vetus Bogoriam lapides, muri, delubra loquuntur, Et, quas pro templis ille reliquit opes. Dignus ſanè, cuius munificentiam & populi & ſaxa ſonent. Cuius gentilitius ac vetuſtiſſimus excipit

PAVO LEOPARDVM.

EST manus, exemplum; manus eſt, doctrina bonorum,
Hæc ad virtutem monſtrat, at illa trahit.
Vno ambæ, virtutis habent, moderamine, ſceptrum:
Vna domus gemino flectitur imperio.
Hæ ſacri Comiteſquè Pedi, ſediſque miniſtræ,
Doctrina & virtus, ſunt, Leoparde, tuæ.
Et lucem, & rapidam fundunt tua ſidera flammam:
Sic tuus in patria lucet, & ardet honos.

*STANISLAVS ZAPOLSKI Dapiferi. Siradien.*

Trico-

## TRICOLOS TETRASTROPHOS.

### ET LVCEM FVNDIT LEOPARDI SIDVS ET IGNEM.

LVcere tantum, vanitas inanis:
Ardere tantum, diminuta virtus?
Ardere, & lucere simul; perfectus honoris
Est, Leoparde decor.
Platonią dignus corona, quisquis
Recti bonique iura præcipit. Sed
Si vitâ reprobat, quod buccinat ore; fluentes
Carmine signat aquas.
Gnesnensis aræ gemina sacram sedem
Manus gubernat; in bonum Doctrina,
Exemplumq;, trahens recta in vestigia, vitæ
O Leoparde, tuæ.
Cui verba splendent, vita sed friget:
Simul in bonum trahit; simul repellit.
Non tantum, Leoparde, tuo lux sidere; verum
Summus & ardor inest.
Tu seu docebis; iussa condiscemus:
Seu tu præibis; nos greges sequemur
Tardi. nam passus virtutum æquare valeres
Quis, Leoparde, tuos?

IOANNES OLSZEWSKI.

QVid, loliis vicinus ager sterilescit amaris?
Seuerat his stygius nempe aconita canis.
Lechiacis opulenta Ceres florescit in aruis;
Cur? Leoparde, tuam Cerberus horret opem.

GASPAR PANEK.

*HIC EGO FIRLEIIS PONOR VIRTVTIBVS ARA:*
*NON INDVM ASSYRIVM NEC THYMIAMA FERO.*

| | | |
|---|---|---|
| HIC | D. O. M. | HIC |
| DI- | Magnæque Matri | FRA |
| VI- | ET | TER |
| NVS | SACERDOTI MAGNO | Na |
| A- | HENRICO FIRLEY | A- |
| MOR | Archiepiscopo Gnesnensi | NI- |
| FLA- | LEGATO NATO | MO |
| GRAN- | R. P. PriMATI | SVB |
| TI- | P. Q. PRINCIPI | DIT |
| A | Apollo Calisliēsis Arā. | DI- |
| PE- | Non ex dextris cornibus animātum | LE |
| CTO | Non e sacrificiorum cineribus | CTI |
| RA | SED PIETATE, MVNIFIcentiA | O |
| TOR | Constructam Posuit | TÆ |
| RET | IMPLORANTIBVS ASYLVM. | DAS |

*DIVINIS SACER HIC IGNIBVS ARDET AMOR*
*VRITVR OLBALA HIC, LEOPARDVS VICTIMA COELO.*

## ENNOSTICHON


Anno, quo

*Gnesnenses pIetas HenrICVM aDVeXIt In aras.*

*ALBERTVS BIENIECKI.*

Et labor

ET LABOR, ET PERNOX SERVAT VIGILANTIA REGNVM.




ALBERTVS IASTRZEBSKI, A.C. an. 1423. vir humanarum diuinarumq; rerum ſcientia plenus: contra vitia, etiam Regum, & fortis & vigilans. Fundator Cœnobii Ordinis S. Pauli primi Eremitæ. Huius, ſic affatur

ACCIPITER LEOPARDVM.

Arduus accipiter terra ſublatus ab ima,
Præpes in ætheriis occupo tecta plagis.
Exolui vigiles diuturno tempore curas:
Iamque tibi curſus lampada trado mei.
Expectant vigiles, fateor, te ſede labores.
Quis magis aſt vnquam eſt, te, Leoparde, vigil.
Lumina centum Argo fuerant: Vigilantia certè
Sidera plura tuæ pellis Olympus habet.

*IOANNES BVZENSKI Theſaurarii Siradien.*

## TRICOLOS TETRASTROPHOS.

### PERVIGILANT TOTAS, LEOPARDI SIDERA, NOCTES.

SEmper Camænarum, Vigilantiam
Laudat Lycæum. Cura vigil regit,
Et seruat vrbes: Cura legum,
Cura fori, patriæq; custos.
Sed cura; non, quam nec Tagus aureis
Impleret vndis: nec faceret satis
Pactolus epotus: nec Hermus
Mæonio satiaret auro:
Non, cui vel ardens tæda Cupidinis
Demit sopores, ira vel æstuans;
Sed quæ per altam, patriæ ipsi
Inuigilat, meditata noctem.
Hac tu beatus, lumina languidis
Nunquam reclinas clausa soporibus:
Sed prouidus, gregi cubanti
Inuigilas, Leoparde, pastor,
Non raptor, atram per nebulam, lupus;
Mendaxq; vulpes Hæreseos, gregem
Tentabit. Omni parte, centum
Stelligeros iacularis ignes.

*IOANNES TRABCZYNSKI.*

EVphratis victor, Macedo vir, dixerat; vno
Non valet imperio bina corona capi:
En gemino regitur diademate Gnesna! volucris
Quod Iouis, Henrici quod Leopardus habet.

*PETRVS BYSZEWSKI.*

Torquis

Torquis. Relli-
ego. COLLO gio
ſed nõ Illuſtriſſimi virtu-
Sicu- Ac Reuerendiſſimi Domini tum au-
lo pro D. HENRICI FIRLEY ro con-
pera- A, G. L. N. R, P, P. P, Q. P. flauit:
ta ca- Doctrinæ, Conſiliiq; Præmium amæ-
mino: TORQVEM SVADA OFF. næ
Facta- Mercurii pollentem linguâ: Firle,
ue vul Non laboratum auro. iis
cani, LEOPARDI geſtis
Calli- VIRTVS IPSA compo-
machi SIBI AV- ſue-
ue ma- RVM re De
nu. æ
DAT
GRANDE MONILE CRVCIS
TI-
DÆ
QVE
FI-
DES


## CHRONOSTICHON

*O Henr ICe, tIbI tVa Gneſna reponet honores,*

*IngreDere: en tant VM te tVVs optat honos.*

*ANDREAS ZAVISSA TRZEBICKI.*

DVCVNT GNESNENSEM, LEOPARDI SIDERA, NAVIM.




VLADISLAVS OPOROWSKI, A. G. 1449. tum omnium virtutum laude celeberrimus: tum admirabili vitæ asperitate & téperantia. Cibi somnique parcissimus Antistes. Cuius de gente Sulima, medio tenus extans, salutat

AQVILA LEOPARDVM

Portum ego iam teneo, vitæ statione relictâ:
Pandit veliuolos sed tibi Gnesna sinus.
Hunc subeat clauum Zephyris tua dextra secundis:
Dirige Gnesnensis, nauita, nauis iter.
Nec Scyllas, scopulosque truces, noctemq; profundam
Gnesnensis metuat iam, Leoparde, ratis.
Nam licet eripiant inimicæ, sidera nubes:
Est Arctos, stellis est Cynosura tuis.

*MATTHIAS PONIATOWSKI.*

Tricolos

## TRICOLOS TETRASTROPHOS

IBIT GNESNENSIS, VENTIS IAM CYMBA SECVNDIS.

SAcro Platonis pectore doctior,
Qui ciuitates regnaque temperat:
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus, dubiisque fortis,
Virtutis odit cedere de gradu.
Stat præliantis fluctibus Africi
Percussa cautes, & tumentis
Despiciens pelagi furorem.
Turbata motis seditionibus
Vrbs fluctuabit? nec Zephyri leuis
Mollescet aura; nec furenti
Impauidus quatietur Austro.
Ibit secundo, Gnesna, tibi ratis
Vento: & quietis carbasa fluctibus
Credet; Gubernator carinam
Ipse tuam Leopardus intrat.
Si nubilosis imbribus, Aeolus
Iratus almum depulerit diem:
Præstabis & soles, & Arcton,
Stelligera, Leoparde, pelle.

*SIGISMVNDVS ZAWISSA TRZEBICKI.*

OLim magnanimo parebant bruta Leoni:
AT frena imperii nunc, Leoparde, tenes.
Vectus nempe ferox Romam est Antonius illo;
Sarmatico Romam tu celer orbe vehis.

*SIGISMVNDVS RVSZKOWSKI.*

Leopardo
Et pastori
Vigilanti
HENRICO
FIRLEY
A.G. L. N.
R.P.P. P.Q.P.
Non Sostrati Cnidii
Arte Phrygiâ murata
Sed Firleiis virtutibꝰ
Facta, & ornata
P H A R O S.
In qua & stelliger Leopardus ipse
Inextinctum e suis ipsis Sideribus
Doctrinæ, & virtutum elatum
Lumen, procellosum vitæ pelagus
Decurrentibus, ad virtutis & san-
ctimoniæ tranquillũ portũ præfert.
Et pastor vigilans Leopardi hæres,
Custodiendo Christi gregi intentus
Vigiliam indefatigabilem semper extendit: atque
in altissimo Gnesnensis Honoris collocatus, fastigio,
Sedulo & pro Populis & pro Aris commendatis
Peruigilans perpetuas excubias agit.
Tu secura inhiantium vel scelerum vel hæresum,
Primæua Regum Poloniæ Gnesna altrix
Auitam Maiorum Pietatem Fidemque coles:
Excubitor tuæ vigil est Leopardus Oræ,
Te Illustrissime ac Reuerendissime D. hac in Pharo
Te Excubitore, in domo Dei ambulabimus cũ cõsẽsu:
Te Custode, proteget Dominus Exercituũ gregẽ suũ:
Te Speculatore, Israel, *grex Christi*, habitabit cõfidẽter:
Te pastore, pinguescẽt & florebunt speciosa deserti:
Te Patre pio, pietas pupillum & viduam suscipiet.

*IOANNES SVCHORZEWSKI.*

DEGENER A MAGNO NON ES, LEOPARDE, LEONE.




IOANNES LASKI, A. G. 1510. Religionis, Patriæ, Puritatis amātissimus. Hic in Concilio Lateranensi, Titulo Legati Nati primus est adornatus. Cuius de domo Korab, prora puppique prospectans & generosum promens parte vtraq; caput, excipit

LEO LEOPARDVM.

EST, sacrum Domini, turris fortissima, nomen:
    Acrisioneæ fortior ære domus.
Plenis arma tholis pendent: frigitque dolosam,
    Diuinæ fidei machina sacra, Stygem.
Hanc custos proræ & puppi, Leoparde, tuebar:
    Hunc capis e nostra stirpe profecte, locum.
Dignus es in nostram, tu hæres, succedere Spartam;
    A Patre non, Natus degener esse, solet.

PETRVS IWINSKI.

## DICOLOS DISTROPHOS

DIVINI EXCVBITOR VIGILANS LEOPARDVS

HONORIS.

MVro, turris, aheneo,
Clausisque Acrisii fortior ædibus,
Nomen terrificum DEI, est.
Quam, non Tartareæ de Styge machinæ,
Non & supplicia, in diem
Quæsita ingenio carnificum truci,
Constantem, posito semel
Dimouere gradu. Sic tumido mari,
Cautes, fluctibus Africi
Dum vastis quatitur; despicit irritas
Insanæ Thetidis minas.
Hanc turrim haud, Stygius, deiicit, impetus:
Intrat fraude mala, tamen
Peccati varium multiplicis genus,
Sic vno nemore abditus,
Phœbeum fugiens, bubo, iubar, latet
Cum fuluo Iouis alite.
Hanc turrim, Leoparde, accipies vigil
Custos; Centoculo sene,
Et Custode, magis, pomicola, vigil.

ALEXANDER KORYTKOWSKI.

AD Latii fortes aquilas Draco coniugus olim,
Inter Romulidum Martia signa fuit.
Nunc aquilæ Stygium, scelus est, sociare Draconem.
Quo fuit ille prius, sis, Leoparde, loco

CHRISTOPHORVS LOPATECKI.

DE A
DE NV
COR L E LVS
RE GATO NATO HIC
PE HENRICO FIRLEY PO
SCVL Archiepiſcopo Gneſnéſi NOR,
VVLT Regni Poloniæ Primati FI-
MA Primoq; Principi DE
HÆC LEGATIONE I
PIA Pro Gneſnenſi Diœceſi SVM
PSO AD DEVM SYM
MO Fungenti. BO
I- CANDIDATI LON:
SED Romanæ Eloquentiæ AL-
SA, Romanorum more; MÆ
MIS Qui mittendis in exteras nationes Legatis O-
PRO Anulos ex SC. dabant; NI
GNANT ANVLVM. DES
S I- CVIVS SPON
A RELIGIO, AVRVM; DENT
RI- FIDES, GEMMA; QVAM
PHA D. D. LE-
NEC D. O-
BLO PAR
BI DE
T I

SECVLARE

*SVnt tanto HenrICI VIrtVtes MVnere DIgnæ.*

*CHRISTOPHORVS PONIATOWSKI.*

## MAGNANIMVS MITI LEOPARDVS IVNGITVR AGNO.




STANISLAVS KARNKOWSKI, A. G. an. 1584. Vigilantia incredibili, prudentia diuina, regali munificentia Pastor, Senator, Princeps clarissimus: Collegii Calssiensis Fundator. Cuius immortali vbiq; terrarum vigens memoria bene precatur

### AGNVS LEOPARDO.

IVngendum Vates, Agno, cecinere, Leonem.
Præstita promissi iam, Leoparde, fides.
Iunctus es: & mecum nostræ efficiere Parentis
Custos. est verò Patria cara parens.
Non me, hanc in matrem, pietate, ciconia maior:
Hanc à me, in Natis, hanc volo semper ali.
Huius ego, imbellis si custos, matris, habebar;
Fortis ero, socio te, Leoparde, magis.

*MARTINVS KOBIERZYCKI.*

## DICOLOS TRISTROPHOS.

NON MORITVR VIRTVS PVBLICOS QVÆ SERVIT IN VSVS.

NVllum superis officium gratius,
Et nulla DEO victima tam sanguine
Grato cruentat aras:
Quam mens, sceleris pura; pio viscerum
Sensu in patriam feruida. Viuet cedro,
Scriptum perenni, nomen
Illustre virorum: patriæ qui suam
Vitam tribuerunt, animæ prodigi.
Largum canent Cimonem
Nunquam morituro, Lycii, carmine
Vates. Leoparde, omnia caligine
Nox alta posterorum
Condit: Meritis in patriam, ingens honos
Semper manet. Ad sera, tuus, sæcula,
Leoparde, splendor ibit
Is, quem publicis vsibus impertias:
Et quem tribuas Sarmatiis ciuibus.
Prement tenebræ multos,
Dites licet auro. Leoparde, igneam
Spargent, tua, lucem astra: nec altæ obruent
Nomen superstes vmbræ.

*STANISLAVS ROSSOSKI.*

CErtamen ne feris credam de Rege fuisse?
Quale fuit quondam, Lesce secunde, tibi.
Extulerat celso virtus diadema colosso:
Præcurrens reliquis hoc, Leoparde, capis.

*ALBERTVS KLOBVCZYNSKI.*

SISTE:DOMVM SPECTA.SI,CVI FACTA ROGAS?

| | | |
|---|---|---|
| LE | | par |
| O- | MERITIS | Di |
| Nis | | Q; |

VNA DOMVS CLAVDIT PARDVM, RIGIDVMQ; LEONEM?

| | | |
|---|---|---|
| MA- | | OR- |
| TE- | LEOPARDO | NA- |
| RI- | *Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini* | TVS; |
| ES; | D. HENRICI FIRLEY | CE- |
| RO- | Archiepiscopi Gnesnensis | LE- |
| BVR | *LEGATI NATI* | RIS |
| GE- | *REG. POL. PRIMATIS* | SVNT |
| NE- | *PRIMIq; PRINCIPIS* | LV- |
| RO- | *ET EMERITIS VIRTVTIBVS,* | CI- |
| SI, | MVSÆ | DA |
| EST, | Apollinare Prytaneum. | SI- |
| A- | IN QVO | DE- |
| CRE | *ET POSTERITATIS* | RA- |
| LEO | *ET GLORIAE* | PAR- |
| NIS | *ET LITERARVM* | DI. |
| ER- | *ET ÆTATVM* | ER- |
| GO- | *ET POPVLORVM* | GO- |
| HAS | Sempiternâ | HAS |
| COM | MEMORIA | COM- |
| PO- | Alantur | PO- |
| NIT | | NIT |

*LEOPARDVS ET INCOLIT ÆDE S EDÆ TILOCNI TE SVDRAPOEL*


## *CHRONOSTICHON*

Anno quo Henrici Firley

*Est pIa Gnesnæ ÆDes MagnIs VIrtVtIbVs aVCta.*

*HIERONYMVS BVZENSKI.*

SVNT LEOPARDINO GNESNENSIA SIDERA COELO.



D. ADALBERTVS MARTYR, an. 996. Rosæ suæ; Eiusdemq; D. VINCENTIVS DOLIWA, S.R.E. Cardinalis. ZBIGNEVS OLESNICKI, Crucis; Eiusdemq; IOANNES TARNAWA. an. 1260. ALBERTVS BARANOWSKI soleæ; Et cæteri omnes suorũ Insigniũ

VIRTVTES LEOPARDO.

Vlximus, & pronum vitæ decurrimus æquor:
Traditur hæc eadem cymba regenda tibi.
Non tamen obscura nos texit nube vetustas:
Nostraue Letheis stemmata mersa vadis.
Viuimus in Te: &, quo virtutum fulsimus, omne
Complexus nostrum es tu, Leoparde, iubar.
Pelle tua cœlum est. in cœlo, tela, sagittæ,
Sunt soleæ, flores, sunt, Leoparde, cruces.

*ALBERTVS GRABOWSKI*

## DICOLOS TETRASTROPHOS

### COLLECTAM LVCEM LEOPARDI SIDERA CLAVDVNT.

RArus admista sine labe splendor;
Et malo, virtus vitiata, nullo:
Nil, quod ex omni simul esse possit
Parte beatum.
Victor Euphratis, Macedo; sed audax.
Fortis in rebus dubiis; sed idem
Cæsar, incæstum, patrio cruore
Imbuit ensem:
Quam celer, Ductor fuerat Molossus;
Sed minus constans: superare norat;
Marte sed, Victor Tyrius, secundo
Nesciit vti.
Nemini plenum, superi dedere
Copiæ cornu. Tibi colligatas
Fasce virtutes, Leoparde, pleno,
Aut bona magnæ
Indoles mentis dedit: aut benignus
Siderum cursus. Tua, cæterorum
Stemmatum laudes, Leoparde, vimque
Sidera claudunt.

*PETRVS BALINSKI.*

HActenus auratam Cidarim, Leoparde, tulisti:
Sed fuerat nulla consolidata cruce.
Roma sed inuictum mirata in pectore robur,
In Styga tam firmam suppeditauit opem.

*IOANNES NIESWIASTOWSKI.*

✠

A-

TENE-, LITI-

RIS TA- BVSPAN

CITI D. DORLE

PROSNÆ OPAR-

CÕSTRV O. M. DOPOR

CTACA TASE-

MOENIS CVNDIS

IPSE FVIT CLARIVS, STRVCTVRÆ PRÆSES APOLLO.

Non Aurum, Cedrus, Marmorue, nec Æreæ Trabes;

| | | |
|---|---|---|
| HACPROPHANIS | *S E D* | HAC SACRATIS |
| FVLCITPALLAS | | T ENET FIDES |
| E T HONORVM | GRATO | E'T DOCTRINÆ |
| ET BELLORVM | Primi Principis | ET VIRTVTIS |
| INSIGNIBVS: | Henrici Firley | HONORIBVS |
| V TROBIQVE, | A. G. | VTROBIQVE |
| SI VE TOGÆ | L. N. | SEV LAVREÆ |
| CONSILIIS ET | R. P. P. | DOCTRINA ET |
| AVTORITATE | P. Q. P. | PRVDENTIA |
| SIVE SAGI | In Gneſnẽſẽ | SEV INFVLÆ |
| GLORIA E T | DIOECESIM | DIGNITATE ET |
| FORTITVDINE | Aduentui | HONORIBVS |
| SẽPER FERENS | Vel Animorum | SEMPER ADDẽS |
| ADIV MẽTVM | Vel Ciuitatum | INCREMẽTVM |
| ETSPLẽDORẽ | PORTAM | ET CVLTVM |
| REIPVBLICÆ | Muſarum Princeps | RELIGIONIS |
| CIVIVMQ. BONO. | | DIVORVMQ. LAVDI |

*CHRONOSTICHON*

*Approperes HenrICe petens; tIbI faVSta trophœa*
*Gneſna MoVet: VIrtVs Dona beata parat.*

*IOANNES SZKVDLSKI.*


Immortalitati
NOMINIS
Illustrißimi ac Reueren
dißimi Domini D.
HENRICI FIRLEY
A. G. L. N.
R. P. P. P. Q. P.
Rhetoricæ in Collegio Karnkouiano
Calißiensi Soc. IESV. AVDITORES,
Supremum animi monimentum
IN LEOPARDI PELLE.
QVAM
Et Maiorum suorum Nobilitas,
Et rerum gestarum Gloria.
Et Sellæ curulis amplitudo
Et Tiaræ Gnesnensis Principat.
Toto terrarum
extendit
orbe
1624
HIERONYMVS
BVZENSKI
Thesaurarii Sirad.